

Incipit tractatus secundus de predicamentis et primo de diversis modis predicandi

¶ Capitulum primum

¶ Tunc dicendum est de predicamentis et quia predicamentum dicitur quedam predicabilia ordinata in ordine predicamentali. Videndum est quomodo fit predicatio. ¶ Ubi nota quod aliquid de aliquo dicitur predicari tripliciter scilicet uniuoce equiuoce et denominatiue. ¶ Uniuoce dicitur predicari que non solum ueniunt his de quibus predicantur quantum ad nomen sed etiam quantum ad rationem essentialem. Et dico hic rationem illud quod per diffinitiones dicitur seu significatur vel per aliquid quod sit loco diffinitionis. Sicut animal predicatur de homine et de boue. Unde non solum hoc nomen animal uenit homini et boui sed etiam diffinitio eius essentialis que est corpus animatum sensibile. Non solum enim uere dicimus quod homo est animal sed etiam quod homo est corpus animatum sensibile et similiter est dicendum de boue. ¶ Equiuoce uero dicuntur predicari que de pluribus predicantur scilicet idem nomen non tamen scilicet eandem rationem et isto modo predicatur canis de latrabili et de marino. Licet enim scilicet idem nomen canis predicet tamen

Nota